



aliosque salutis et quietis publicae turbatores Augustis no-
 stris supremis in Imperio Regnoque Iudicibus, quum aucto-
 ritas Iudiciorum prouincialium et Pacis non sufficeret, pla-
 cuit quibusdam Regni Germanici Ciuitatibus immediatis
 et quandoque etiam Prouinciarum mediatis, qui opibus,
 viris militaribus ingenti sumptu conductis, aliisque prae-
 fidiis praeualebant, atque ad communis patriae emolumenta,
 commercia exercebant, conferre singularem potestatem et prae-
 rogatiuam persequendi, capiendi et iusto iudicio puniendi
 quoscunque homines facinorosos atque hos inter turbato-
 res pacis et commerciorum, atque tuendi *Stratarum Im-*
perii, siue Viarum publicarum terra, et in magnis Germa-
 niae fluuiis securitatem. Talis potestatis praerogatiua cum-
 primis gratiose concessa fuit potentibus et commerciis flo-
 rentibus Ciuitatibus, qualis tot priuilegiis et ornamentis
 condecorata est *Lubeca* inter Vrbes Hanseaticas princeps.
 Huius enim inclitae Ciuitatis per Fridericum I. Impera-
 torem immediatis vrbibus Regni adscriptae, *Consulibus et*
Senatoribus, Carolus IV. Imp. anno 1375. ipse Lubecae prae-
 sens splendidum inter Germanos *Dominorum* titulum gra-
 tiose attribuit, et quum modeste eundem deprecatus fuisset
 Iacobus Pleskowius, honoris collati rationem addidit qua
 motus id faceret, vti annotauit DETMARVS Lubecensis.*
 Ex eodem fonte Caesareae clementiae, profluxerat, an-
 te annum aduentus sui in Urbem hanc insignem, nem-
 pe 1374. concessus singularis VICARIATVS et arduum
 munus: *der Verweser vnd Pfleger in tuenda Pace et Securi-*
tate

* extat locus in ill. IOA. PETRI
 WILLEBRANDT *Hanseischer*
Chronick, Parte I. p. 45. atque

in doctissimi CANDIDATI Spe-
 cimine Inaugurali §. III. n. d.